



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 868. An fugitivos & ejectos justè religio teneatur alere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

*ligiosus*. Azor. *cit. l. 12. c. 15. q. 3. & c. 16. q. 8.* Sanch. *l. 7. mor. c. 32. n. 8.* Suar. *l. c. rr. 8. l. 3. c. 14. n. 5.* Castrop. *Loc. proximè cit. n. 3.* His non obstante, quod soluto matrimonio rato per professionem religionis aut dispensationem pontificiam dos sponsæ reddatur, cum ea illi reddatur, quia ejus dominium semper retinuit. Atque ita in specie ut idemp. *18. n. 2.* & latius, Suar. *l. c. an. 22.* societas non professis ab ea dimissis, si quæ ab illis donata accepit, ex rigore justitiæ reddere non tenetur, quia ea donata sine omni spe recuperationis, qui modus donandi religiosi societatis convenientior est, ut ait Castrop. ne liberius vivant, sperantes se non dimitte-  
ndos ob non reddenda bona donata. Quin & Societati magis expediens ut possit liberius discipulos dimittere, quamvis tamen, ut iidem, societas ex æquitate soleat bona aliqua ab iis accepta reddere iidem, præcipue si iis ad sui sustentationem egeant.

**Quæst. 869. Num fugitivos & ejectos iuste religio teneatur alere.**

**1. Resp.** Primò: Tametsi fugitivos & apostatas per se loquendo alere teneretur religio, quia sub ejus cura & potestate existunt, ut Castrop. *cit. p. 18. n. 3.* ob malitiam tamen eorum, dum malitiosè se monasterii servitio & gubernatione, ob quæ eis debita alimenta, subducunt, monasterium ab hac obligatione liberari tenet. Idem. item Sanch. *l. 6. c. 9. n. 21.* Pirh. *h. t. n. 191.* Wiestn. *n. 170.* Tambur. & alii. Idque exemplo filii, quem à consortio suo malitiosè discedentem non tenetur alere pater, ut Pinell. *in l. 1. c. de bon. mater. p. 1. n. 54.* Surd. *de Aliment. lit. 7. q. 7. n. 1.* item uxoris culpâ suâ divertentis à marito, quam is alere non tenetur ut cum Gl. *in c. significasti. de divor. v. materiam.* Palacios *in rub. de donat. inter vir. & uxor. §. 64. a. n. 6.* quin & ut Wiestn. cum cit. Gl. & AA. expediat Prælatum ad hoc, ut necessariis vitæ subsidiis deficientibus, pœnitentiæ & reditibus consilia capiant.

**2. Resp.** Secundò: Sed neque iuste ejectos (secus est de injuste ejectis, utpote qui possessione jurium per professionem quæstorum indebitè spoliatus non excidit jure percipiendi alimenta à monasterio) alere tenetur; cum à cura & gubernatione religionis in gravis delicti & incorrigibilitatis pœnam sunt exclusi. Sard. *l. c. 35. n. 1.* Sanch. *n. 20.* Barbof. *in c. fin. h. t. n. 4.* Wiestn. *l. c.* Quod si tamen fugitivus aut ejectus in alio Monasterio ejusdem ordinis est collocatus, huic aut priori monasterio atulit bona, æquum est, ut ex iis alatur. Pirh. *n. 191.* Barbof. *l. c. n. 21.* juxta *c. de lapsis. caus. 16. q. 6.* & si utriusque attulit quid modicum, utrumque contribuere debet, ut Barbof. *l. c.* cum Rodriq. & aliis. Si verò non atulit bona vel non sufficientia pro sui alimentatione secundo monasterio, adhuc alendus expensis prioris monasterii, & si illud non habeat, tunc eum alatur, alere eum debet secundum monasterium; ita Pirh. & Barbof. *ll. cit.* citatis Host. *in c. fin. h. t. n. ult.* Abb. *ibid. n. ult.* Butrio *n. 14.* Cardin. *n. 2. q. 10.* Anchar. *n. 9.* Azor. *cit. l. 12. c. 17. q. 3.* quod tamen postremum, præsertim si secundum monasterium sit diversi ordinis, non probat Castrop. *cit. p. 18. n. 4.* citans pro se Gl. *in c. si quis raptaverit. 16. q. 6. v. cautiore.* Sylv. *V. apostasia. q. 9. n. 12.* Covar. *de testam. c. 1. n. 20.* Molin. *som. 1. de just. d. 140. vers. quando relig.* Sanch. *cit. c. 32. n. 46.* Suar. *cit. l. 3. c. 14. n. 11.* eò quod æquum non sit monasterium vel religionem alienam gravari ob religiosi sibi non competentis delicta. Neque placet ei limitatio, quâ aliqui limitant hoc ipsum, minime, quod secundum monasterium teneatur eum alere si obsequia ab illo & eidem præstita æqui-

valeant alimentis, ut Sanch. *l. c.* eò quod secundum monasterium non teneatur ea obsequia loco alimentorum acceptare. Unde rectius addit Pirh. *l. c.* in eo casu, dum neutrum monasterium eum alere potest; generalem vel capitulum generale providere debere, ac imperare alicui monasterio (intellige sui ordinis sufficienti ad hoc) aut autoritate à papa sibi delegata alteri monasterio ut fugitivum & ejectum recipiat ad agendam pœnitentiam, eique ex misericordia alimenta præstet, si aliunde ea habere non potest. Vel denique Episcopum in defectu aliorum mediorem teneri subvenire ex generali obligatione, quâ tenetur subvenire pauperibus. ut Sylv. *l. c. q. 10.* Azor. *l. c. c. 17. q. 3.* Sanch. *cit. c. 9. n. 14.*

**Quæst. 870. An & qualiter religio solvere teneatur quæ fugitivi & ejecti, apostata extra religionem consumplerunt in sui alimentationem, vel alii in eorum reductionem.**

**1. Resp.** Ad primum: Factas à fugitivo & ejecto iuste (secus iterum est de injuste ejectis) expensas in sui alimentationem & hinc contracta ab iis debita solvere non tenetur monasterium; quia eos secundum jam dicta alere non tenebatur Rodriq. *Tom. 1. qq. reg. q. 33. a. 11.* Tamb. *de jur. Abb. Tom. 3. d. 8. q. 5. n. 2.* Castrop. *rr. 16. d. 4. p. 17. n. 2.* Barb. *l. c. n. 4.* Pirh. *cit. n. 191.* Wiestn. *h. t. n. 172.* Quod si tamen bona ab iis tempore fugæ, ejectionis, apostasie acquisita accipiat monasterium, tenetur ex iis solvere contracta ab illis debita, ut AA. iidem, ne locupletari videatur cum damno aliorum contra *c. locupletari de reg. jur. in 6.* quin & ut Castrop. *l. c.* ipse fugitivus, ejectus, apostata, si habeat suæ administrationi & dispositioni concessa, ex ipsis satisfacere potest & debet creditoribus suis, qui ipsi spe solutionis alimenta subministrarunt.

**2. Resp.** Ad secundum: Factas tamen impensas ab alio quodam in illorum reductionem ad ordinem, tenetur solvere monasterium, etiam dum ei nihil ab iis relictum; quia in monasterii utilitatem factæ sunt, & talis reducens utiliter gessit negotia illius; non secus ac Dominus expensas factas in reductionem servi ad potestatem suam tenetur solvere. Sanch. *cit. c. 9. n. 22.* Castrop. *l. c.* Barbof. *cit. n. 4.* Idem dicens de expensis necessariis, quas fugitivus, ejectus, pœnitentiâ ductus sponte rediens in suum reditum fecit, uti tenetur monasterium solvere, quæ pro eo revocando tenebatur expendere.

**Quæst. 871. Quanam sint pœnae fugitivorum & apostatarum, eorumque, qui ad fugam & apostasiam cooperantur, aut eos recipiunt.**

**1. Resp.** Primò: Fugitivis qua talibus & in discriminatim omnibus nullæ pœnæ, nullaque excommunicatio aut censura ipso jure incurrenda, saltem jure communi statuta. Nav. *comment. 2. de regul. n. 61.* Suar. *cit. l. 3. c. 1. n. 10.* Castrop. *l. c. p. 17. n. 8.* Wiestn. *h. t. n. 148.* nam dum *c. ne cleric. vel monach. in 6.* pœna excommunicationis statuitur demisso habitu fugitivis, ea non imponitur, ob fugam, sed ob dimissionem habitus ut Castrop. *l. c.* quin & solis sine licentia superioris aut consilio majoris partis conventus ad studia literarum dimisso habitu discedentibus, ut Wiestn. Item dum *Extravag. 1. de regul. excommunicantur religiosi sine licentia recedentes & vagantes,* sermò tantum est de recedentibus dimisso vel non dimisso habitu animo transeundi ad alium ordinem, postquam moniti de reditu intra dies 15. à die monitionis non revertantur, cadente excommunicatione super non reditu intra tot dies Castrop. Wiestn. *l. c.*

Item